



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Boëtij de eadem ignorantia querela.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

acerbis malorum pœnarumque remedijs, ob peccatum primi parentis nostri castigamur, &, juxta cum ignarissimis, de tenebris in tenebras imus, peccata peccatis, scelera sceleribus plectentes; ad vanitatem toti Argi & oculi, ad veram vitam, & felicitatem numquam morituram, talpis cæciores. Quod Boëtius his versiculis eleganter deplorauit.

VII.  
Boët. lib. 3:  
de cons. metr,  
8.

*Eheu, quàm miseros tramite deuiso  
Abducit ignorantia!  
Non aurum in viridi quaritis arbore,  
Nec vite gemmas carpitis.  
Non altis laqueos montibus abditis,  
Vt pisce ditetis dapes.  
Nec vobis capreas si libeat sequi,  
Tyrrhena captatis vada.  
Ipsos quin etiam fluctibus abditos  
Norunt recessus aquoris.  
Qua gemmis niveis una feracior,  
Vel qua rubentis purpura;  
Nec non qua tenero pisce, vel asperis  
Præstent echinis littora.  
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,  
Nescire caci sustinent.  
Et quod stelliferum trans abiit polum,  
Tellure demersi petunt.*

VIII.

Non est leuius omnino nescire, quod liceat, quàm facere aliquid, quod scias non licere, ait Ethnicus Philosophus. Ab hac ergo ignorantia, quæ ipsa est pœna grauissima, & discendi labor, & metus, & flagitia, & violenta facinora, & deprædationes, & membrorum amputationes, & omnis generis miseræ oriuntur. Nempe hic est fructus, qui provenit ex arbore scientiæ boni & mali; hæc fides illius, qui promisit: *In quocumq; die comederitis ex eo (ligno) aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij, scientes bonũ & malum.*

Gen. 3. 5.

IX.  
S. Augustin.  
lib. 22. de  
ciuit. cap. 22.

Neque hic finis est calamitatis. Nam, vt cum S. Augustino loqui pergamus. *Quid ab innumeris casibus, qui forinsecus corpori formidantur, a sibus, & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluui- nibus,*